

ex illa relatione præterita nullam bonitatem habet præsens actio. Atque hoc confirmat vulgatum exemplum de eo, qui retulit omnia opera sua in pravum aliquem finem, ut in dolum, quia non est necesse malitiam illius relationis redundare in omnia opera sequentia, etiamsi retractata non sit.

7. *Quarta opinio de relatione actuali.*—Propter hæc, est quarta sententia, quæ requirit actualem relationem ad hanc bonitatem per formalem intentionem, vel actum imperatum, quam significat Durandus, in 2, d. 40, quæst. 2, n. 7 et 11, quanquam non satis rem explicet: probatur autem, quia, secluso actu, et relatione præterita, ac ipso habitu, nihil remanet, quod possit sufficere. Dices sat esse virtutem aliquam ex priori actu relictam, sed inquiri, quid sit illa virtus, aut enim est aliquid in voluntate, vel in intellectu; non primum, quia in voluntate tantum sunt aut habitus, aut actus: sed non est habitus, ut dictum est: si autem est actus, erit actualis, et non virtualis relatio, atque eodem argumento probari potest non esse in intellectu, quia neque potest esse habitus, neque actus, præsertim, quia hæc virtus debet movere voluntatem quoad exercitium ex parte ipsius potentia: intellectus autem nunquam movet nisi ex parte objecti quoad specificationem.

8. *Quinta opinio auctoris de relatione virtuali.*—Nihilominus dicendum est sufficere relationem virtuales ex vi intensionis, seu imperii relictæ, et virtute permanentis, ut ex fine habeat operatio humana aliquam moralitatem et laudabilitatem: est enim hæc expressa sententia D. Thomæ 3, contra Gentes, cap. 138, ratione 3, ubi dicit: *Voluntas præcedens actum virtute manet in tota consecutione actus, et ipsum laudabilem reddit etiam cum de proposito voluntatis propter quod actus incepit in executione operis non cogitatur*: idem, q. 2, de Malo, art. 8, argumento 11, cum solutione, et quæst. 2, de Virtut., art. 11, ad 2, et sumitur etiam ex 2, 2, quæst. 83, art. 13, ubi agens de ratione dicit posse imperatoriam esse, et meritoriam sine intentione actuali, quando fit sine culpa, et revera Bonaventura, Gabriel, Ægidius, et fere alii antiqui scholastici hoc in sensu loquuntur.

9. *Probatur hanc relationem esse frequentem.*—Ratio autem est, quia imprimis negari non potest, quin hic modus operandi non solum sit homini possibilis, etiam valde frequens, sic enim mercenarius tota die dicitur operari pro mercede, et si non semper cogitet de mer-

cede: et qui iter agit, vere dicitur deambulare, ut ad terminum viæ perveniat. Similiter in materia de Sacramentis nihil est certius, quam intentionem virtuales sufficere ad conficiendum Sacramentum, etiamsi formalis non adsit. Item quia quando unus homo per alium operatur, præbendo illi suum consensum, et mandatum, quamdiu non retractat dicitur virtute operari, quidquid alius operatur, quia virtus prioris consensus censetur manere in scriptura, vel mandato: sic ergo fieri potest in his, quæ homo per seipsum operatur ex vi prioris consensus. Præterea est hujus rei argumentum quod homo operetur ex vi prioris intentionis, quia statim, ac illam mutat, cessat ab operando: ergo signum est operari ex aliquo influxu præcedentis voluntatis: quo modo autem hoc sit possibile, statim explicabo.

10. *Deinde probatur sufficere.*—Quod autem hic modus operandi sufficiat ad dictam moralitatem patet imprimis ex communi sentiendi modo omnium hominum, et quia plus ab homine exigere est plusquam humanum. Item quia longe diverso modo moraliter operatur, quia ex intentione honesta se applicuit ad opus de se indifferens, et postea in illo perseverat, cessante actuali cogitatione illius finis, quam alius, qui per voluntatem omnino indifferenter ad idem opus se applicuit, nam hic sæpe censebitur otiose loqui, et operari, ille autem studiose, ut homo. Denique ad hanc denominationem sufficit dependentia moralis, et causalitas unius actus ab alio, ut dictum est: hæc autem tunc intercedit mediate, vel immediate, quia operatio vere procedit aliquo modo ex influxu prioris intentionis; unde refertur aliquo modo in finem ejus, et ex hac parte habet aliquam bonam circumstantiam, scilicet finis, quæ sufficit ad prædictam denominationem, si aliunde nulla sit malitia.

11. *Primus modus explicandi relationem virtuales.*—Ut autem ad difficultatem propositam in n. 7, respondeatur, addendum est tribus modis posse accidere, et applicari hanc relationem. Primus est si duret idem numero actus imperatus, et actus interior imperans interruptus sit, verbi gratia, in oratione vocali, si quis coepit orare intentione implendi præceptum, et in discursu orationis naturaliter distrahitur; nihilominus implet præceptum, et tota illa oratio dicitur esse virtute a priori intentione, cujus virtus manet in ipso opere: et potentia exequens semper manet applicata ex vi illius prioris intentionis, sive hæc applicatio consistat in solâ actione exterioris po-

tentia, sive etiam in aliquo interiori usu voluntatis, et consequenter in aliqua etiam attentione intellectus, quamvis adeo simplici, et remissa, ut sit interceptibilis, sic enim sæpe homo attendit, et tamen si postea reflectatur, non potest judicare, nec cognoscere se attendisse.

12. *Secundus modus.*—Secundus modus est, quando est varietas in ipsis actionibus, et in voluntatibus etiam, seu electionibus, tamen sine totali cessatione, sed immediate transeundo ab una electione, seu intentione ad aliam, ut quando aliquis intentione dicendi sacrum, se præparat, domo exit, incipit indui, etc. Et tunc etiam est facile intelligere quomodo maneat virtus prioris intentionis; manet enim in proxima voluntate, seu electione, et per illam imperat aliam, et sic consequenter, et hos duos modos explicui latius in materia de Sacramentis.

13. *Tertius modus.*—Tertius videtur difficilior, quando omnino interruptitur formalis intentio, et omnis actus, vel voluntas ab illo manans, ut quando intercedit somnus, et postea incipit denuo operari, ut est vulgatum exemplum in eo, qui intentione implendi votum, multis diebus peregrinatur; qui tamen non quotiescumque evigilat, recordatur voti sui, nec repetit intentionem implendi illud, et in hoc casu, et similibus existimo virtutem prioris intentionis applicari media apprehensione, et iudicio, intellectus, nam in prædicto casu statim, ac homo evigilat, apprehendit, et iudicat sibi esse inter agendum, neque inquiri rationem bonitatis, aut convenientia, sed ex vi prioris deliberationis iudicat hoc sibi expedire; et esse agendum, et inde statim movetur ad electiones, vel actiones, quæ statim occurrunt, et tunc merito dicitur operari virtute prioris intentionis, quia tota efficacia inde oritur: nam licet intellectus ex se non possit voluntatem movere nisi objective, et quoad specificationem; tamen virtute prioris voluntatis potest movere efficaciter, et quoad exercitium: hæc autem motio tanto erit melior, et moraliter laudabilior, quanto in objecto, seu actu proposito considerata, vel iudicata fuerit aliqua ratio boni magis accedens ad bonitatem prioris intentionis; fieri enim interdum potest, ut illa prima apprehensio, per quam incipit progredi in opere interrupto, sit tantum de aliquo objecto agendo sub communi ratione convenientis, aut expedientis, seu jam deliberati, vel simpliciter agendi, et tunc formalis intentio est valde indifferens intrinsece, solumque per

denominationem extrinsecam potest ita bona denominari, ut neque censeatur otiosa, interdum vero potest illud primum objectum representari saltem, ut honestum, vel prudenter deliberatum, aut sub alia ratione magis speciali, scilicet, ut pertinens ad cultum Dei, vel quid simile, et tunc intrinsece habebit aliquam bonitatem non ex fine, sed ex objecto, quod actu proponitur: per denominationem autem ex fine habebit speciem ad illum pertinentem, quale est implere votum, vel quid simile, et ita satis responsum est ad difficultatem positam in n. 7.

DISPUTATIO VII.

DE MALITIA.

Præter alias differentias inter bonitatem et malitiam, una est, quod voluntas humana non potest fieri actualiter bona sine operatione a se elicitæ, ut supra dictum est: potest autem fieri mala sine ullo actu per voluntariam carentiam actus debiti: hujusmodi enim voluntarium dari potest, ut supra, tract. 2, disp. 1, sect. 5, dictum est, et ad malitiam sufficit propter imperfectionem ejus, ut latius tradi solet 1, 2, q. 71, art. 5, et q. 72, art. 6. Unde fit duplicem esse malitiam, una est quæ proxime denominat actum malum, et per illum, voluntatem: altera, quæ voluntati proxime inest, et illam malam denominat. Quoniam igitur hic de actibus agimus, prior malitia est propria præsentis disputationis, et ideo prius de illa disputabimus, et potest illa generali nomine vocari *malitia commissionis*: in fine tamen aliquid de posteriore addemus, quando carentia actus ex ipso actu facile cognoscatur: de malitia autem actus disputari possunt omnia quæ de bonitate dicta sunt: tamen quia suppositis dictis erunt breviora, omnia comprehendam sub hac unica disputatione, explicando prius absolute rationem malitiæ, postea vero de objecto, circumstantiis et fine pauca tractabimus.

SECTIO I.

Utrum sit aliquis actus voluntatis ex se et natura sua malus, etiam seclusa extrinseca prohibitione.

1. *Præmittuntur qualem ad dubitationem presentem.*—Primo, quod in voluntate humana sint actus mali, per se notum est, et divus Thomas satis hoc disputat 1, 2, q., art. 2.

Quod autem omnes actus mali sint prohibiti aliqua lege, saltem divina, est certum, quia hoc ad perfectionem spectat divinæ providentiæ. Rursus certum est apud omnes theologos aliquos actus esse malos solum, quia prohibiti sunt, tamen ad explicandum exacte rationem malitiæ oportet in universum explicare quomodo se habeat ad prohibitionem quantum a lege pendeat: et consequenter, quantum possit esse intrinseca humanis actibus, quia in hoc potissimum apparet tota difficultas tractanda. Est autem ratio dubii, quia nullus actus voluntatis potest ex vi suæ entitatis positivæ habere malitiam, sicut bonitatem: ergo tantum potest illam habere, in quantum deficit a regula voluntatis, quæ est lex: ergo non potest intelligi actus malus sine lege extrinseca prohibente. Antecedens supponitur, quia malum, ut malum, non potest esse differentia specifica, et positivum ens. Confirmatur, quia non potest intelligi malitia actus sine obligatione non faciendi, sicut neque e contrario intelligi potest malitia in carentia actus, nisi sit obligatio operandi; sed omnis obligatio oritur ex lege extrinseca præcipiente, vel prohibente: ergo sine hac nulla est malitia: ergo sicut talis lex non est intrinseca actui, ita neque ulla malitia. Antecedens videtur ex terminis notum, quia nemo peccat omni omittendo, quod tenetur facere, neque e contrario, et potest etiam explicari, quia nemo peccat nisi volendo malitiam; non autem vult illam directe, quia *nemo intendens ad malum operatur*: ergo indirecte; ergo oportet, ut intercedat obligatio cavendi illam, quia hoc *voluntarium indirectum*, moraliter loquendo, non est nisi ubi intercedit, aliqua obligatio.

2. *Prima opinio negans.*—Propter hæc quidam dixerunt nullum esse actum voluntatis ita malum, quin possit esse non malus, quamvis libere, et humano modo fiat, quia putant omnem malitiam pendere ex prohibitione extrinseca saltem divina, quam putant esse liberam, quia pendet ex voluntate Dei, quæ libera est in omnibus effectibus ad extra, quorum unus est prohibitio, seu præceptum, ita Nominales fere sentiunt, Ocham, in 2, q. 19, ad 3 et 4, Gersonius, alphabeto 6, litt. E, et tractatu de Vita spirituali, lectione 1, et alios refert Almainus, tract. 3, Moralium, c. 15, et fere consentit Scotus, in 4, d. 26, q. 1, qui tamen excepit odium Dei: videtur etiam favere D. Thomas, 1, 2, q. 71, art. 6, ad 4. Ubi explicans illam distinctionem theologorum de actibus malis, quod *quidam sunt mali, quia*

prohibiti: alii vero prohibiti, quia mali, dicit esse intelligendam respectu legis positivæ, significans respectu æternæ et divinæ legis omnes esse malos, quia prohibitos: quod etiam sentit D. Bonaventura, in 2, d. 35, dubio 4, circa litteram. Favet Augustinus, 2, de Peccatorum meritis et remissionibus, c. 16, dicens, neque præceptum erit, si quid erit nisi jubeatur, ut non sit, et infra, Quomodo per divinam misericordiam dimittitur, si peccatum non est, aut quomodo per divinam justitiam non prohibetur, si peccatum est. Denique, lib. 22, contra Faustum, c. 27, præceptum definit per hoc, quod sit contra legem: idem Ambrosius, libro de Paradiso, cap. 6, dicens: Quid est peccatum nisi divinæ legis prævaricatio, imo videtur id docere Paulus ad Romanos 4: Ubi non est lex, neque prævaricatio: et cap. 5, Peccatum non imputabatur, cum lex non esset: et ideo 1, ad Corinth., 15: Virtus, inquit, peccati lex.

3. *Secunda opinio extreme contraria.*—Alii vero absurdum existimant, negare aliquos actus ita esse malos, quin habeant inseparabilem malitiam etiam de potentia absoluta, si libere, et humano modo fiant, et nihilominus propter argumenta facta concedunt non posse esse malos sine prohibitione saltem divina: unde concludunt hanc prohibitionem non esse Deo liberam, sed necessariam, quia licet Deus ad extra se nihil simpliciter necessario velit: tamen supposita libera voluntate circa unum non est inconveniens, ut sit necessarium velle aliud, quia hæc non est necessitas simpliciter, sed ex libera suppositione; sic ergo inquirunt hoc ipso, quod Deus vult creare hominem, et illum libere vult, et per rationem operari, et cum illo ad hoc concurrere, necessarium est, ut illi prohibeat hos actus habentes ita conjunctam malitiam; tum quia facta dicta suppositione necesse est, ut habeat Deus providentiam hominis, cujus hæc est pars potissima: tum etiam, quia absolute necessarium est, ut huiusmodi actus Deo displiceat: ergo necesse est ut repugnet voluntati ejus: ergo et prohiberi: nam hæc duo idem sunt, hanc vero opinionem sic explicatam apud nullum scriptorem invenio.

4. *Secunda opinio distinctione utens.*—Alii distinctione utuntur cum Gregorio, in 2, d. 34, quæst. 1, art. 2, Gabriel, d. 35, quæst. 1, a. 1, Almainus, tractatu 3, cap. 16, quos sequitur Corduba, libro 3 Quæst., quæst. 10, ad 2, hi enim auctores concedunt aliquos esse actus intrinsece omnino malos ac necessario, etiam de potentia absoluta: distinguunt autem du-

plicem legem, aliam indicantem, aliam præcipientem. Prima explicatur tantum per verbum indicativi modi, hoc est faciendum, vel non est faciendum: alia per verbum imperativi, fac hoc, vel non facies. Prima tota est in intellectu, et non pendet a voluntate: consistit enim in iudicio indicante rem ipsam prout est. Secunda vero pendet a voluntate quatenus vult imponere hanc, vel illam obligationem: unde prima non pendet ex jurisdictione, vel potestate superioris, sed ex re ipsa: secunda vero requirit potestatem et jurisdictionem: dicunt ergo omnem actum malum requirere priorem legem, non autem posteriorem.

5. Hæc distinctio a nonnullis improbatur, quia improprie utitur Gregorius, voce *legis*, proprie enim non significat nisi imperium: si tamen res vera est, non esset de voce multum contendendum, præsertim, quia dictamen rectæ rationis non admodum improprie per sese dicitur habere rationem legis respectu voluntatis, præsertim in voluntate, quæ non est sibi regula suorum actuum, neque est natura sua determinata ad honestum: nam revera tale dictamen est regula, et mensura talis voluntatis: non ergo adeo improprie dici potest lex respectu illius, neque hæc significatio huius vocis est admodum inusitata. Augustinus enim lib. 22, contra Faustum, resp. 27, sub disjunctione dixit. Lex æterna est ratio divina, aut voluntas Dei, et D. Thomas, loco supra citato, videtur certe hoc modo uti nomine *legis*, ut patet ex fine illius solutionis, dicit enim omne peccatum esse malum, quia prohibitum, et subdit: ex hoc enim ipso, quod est inordinatum, juri naturali repugnat: ubi non dixit, ideo esse inordinatum, quia juri naturali repugnat, sed e contrario, quia est inordinatum, ideo juri naturali repugnare, quod solum est verum sumendo jus naturale pro ipso dictamine rationis, sed quidquid sit de voce *legis*, nos loquamur de voluntate prohibente, et de iudicio dictante.

6. *Prima assertio.*—Dicendum primo aliquos actus voluntatis ex se, et ex vi suorum objectorum esse malos ante omnem voluntatem prohibentem et independentem ab illa quoad rationem malitiæ. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma 1, 2, quæst. 100, art. 1 et 8, hoc enim sensu definit quosdam actus ita esse malos, ut nulla Dei dispensatione fieri posset, ut non sint mali, et ita sequitur Cajetanus ibi, et Soto 2, de Justitia, quæst. 3, art. 10, Victoria, Relectione de homicidio, Richardus, in 3, d. 37, art. 1, quæst. 5, et ibi Gabriel, quæst. 1, a. 2,

et Scotus, quæst. 1, absolute hoc admittit, licet in particulari iudicio de his actibus differat a sententia D. Thomæ, quod non est huius loci: consentit etiam Durandus, in 1, d. 46, q. 4. Sumitur etiam ex Augustino 1, de libero Arbitrio, cap. 3, dicente adulterium non esse malum, quia prohibitum, sed e contrario, et idem dicit de mendacio, glossa Levit. 19.

7. Unde probatur primo inductione, quia odium Dei ita est malum, ut si libere, et humano modo absque ignorantia fiat, non possit non esse malum, quod videtur ita ex terminis notum, ut non indigeat probatione, nam rationi propositum statim repugnat, idem est de hoc actu, *volo agere contra conscientiam, contra rectam rationem, contra præceptum superioris*: nam huiusmodi actus non potest mente concipi, quin malus sit, quod argumentum late prosequitur Almainus, supra. Potest etiam hæc inductio extendi ad ipsam divinam voluntatem respectu cujus quædam sunt ita mala, ut non possit Deus ea velle: qualia sunt velle mentiri, velle non implere promissum, etc. Quod non provenit respectu illius ex voluntate prohibente; ergo ex eo provenit quod talis voluntas per se mala est.

8. Ratio autem a priori est, quia voluntas sumit bonitatem, vel malitiam suam ex objecto; est autem aliquod objectum ex se disconveniens naturæ rationali, ut sic, absque voluntatis superioris prohibentis, ut supra late dictum est: ergo talis voluntas per sese mala ex vi voluntariæ tendentiæ in tale objectum ante voluntatem prohibentem. Confirmatur, et declaratur primo, quia in cæteris rebus, et naturis, quædam sunt natura sua disconvenientia naturis rerum ante omnem voluntatem, ut calor ex se est disconveniens aquæ, similiter in aliis rationibus boni et mali, verbi gratia, delectabilis, aut contristan- tis unumquodque est ex se tale natura sua sine respectu ad voluntatem extrinsecam: ergo idem esse poterit in naturali rationali ut sic, et in ratione boni honesti, aut mali contrarii. Tandem, quia sicut in speculativis quædam sunt principia per se nota, quæ non pendunt ab extrinseco ut vera sint, ita etiam in practicis, qualia sunt, vel illa generalia, *honestum est faciendum, turpe vitandum*: vel particularia *non est mentiendum, nemini est facienda injuria*, etc. Hæc ergo iudicia semper sunt vera independentem ab omni extrinseco: ergo et voluntas ab illis discordans semper est mala independentem etiam ab omni extrinseco. Nam illa veritas sumitur suo modo ex confir-

matione ad oppositum rectum, vel non rectum: unde si fingeremus hominem invincibiliter ignorantem Deum et omnem superiorem voluntatem prohibentem mendacium, vel adulterium, recte autem utentem naturali iudicio in rebus agendis, intelligeremus illum posse bene, vel male agere: et a voluntate mentiendi, vel adulterandi in tali homine esse inseparabilem malitiam.

9. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo, nullum posse esse voluntatis actum malum, quin sit contra dictamen rationis iudicantis malitiam actus, vel objecti, qui est sensus auctorum tertiæ sententiæ, et per se constat; quia non potest actus voluntatis esse malus, quin sit illi voluntaria aliquo modo malitia, non erit autem voluntaria nisi sit aliquo modo ratione dijudicata, vel in actu ipso, vel in objecto, quod perinde est: nec disputo modo, an hoc dictamen debeat, et possit haberi, nam de hoc satis dictum est supra in materia de voluntario, disp. 4, sect. 3.

10. *Primum corollarium odium Dei fore malum, esto non prohiberetur.* — *Id probatur quando non daretur prohibitio proprie dicta.* — Atque ex his sequitur primo quid sit iudicandum de hac conditionali, si Deus non prohiberet odium sui, non esset malum: quidam enim dicunt utrumque sequi, nam et esset malum, quia esset de turpi objecto, et non esset malum, quia non esset prohibitum a Deo, ita respondet Medina 1, 2, quæst. 81, art. 1, et quæst. 19, in principio, et quæst. 100, art. 8, tamen si sit sermo de prohibitione non ut spectat ad naturale iudicium, sed ad voluntatem divinam, qua ut superior vult obligare hominem, ut hoc faciat, vel non faciat, dicendum est conditionalem hanc esse veram, licet Deus non prohiberet, actus esset malus, et aliam partem omnino esse falsam, neque sequi contradictionem, quia objectum ipsum per se sufficit ut actus sit malus: illud autem non mutatur etiamsi tollatur prohibitio. Deinde illud antecedens non est ideo impossibile, ut implicet contradictionem: non est ergo impossibile, ut ex illo sequantur contradictoria. Antecedens imprimis patet: si intercedat ignorantia talis prohibitionis, ut supra in exemplo positum est, nam respectu ignorantiae perinde est, ac si in re non esset prohibitio. Deinde patet ex re ipsa, quia voluntas, qua Deus hoc prohibet, vel intelligitur esse naturalis quadam displicentia talis objecti, vel actus: et hæc in primis supponit malitiam jam in actu, vel objecto: ergo si per possibile, vel impossibile

præscindamus hanc displicentiam, ut non sit, erit in tali actu malitia, et deinde non constat Deum ex necessitate habere naturalem displicentiam, saltem quoad exercitium, quia nihil est, quod necessitet ad hoc divinam voluntatem. Denique illi simplex affectus, ut sic, per se non sufficit ad rationem legis prohibentis, sicut neque e contrario simplex affectus complacentiæ in bonum non sufficit ad rationem legis præcipientis, ut patet in actibus consiliorum: est ergo necessaria aliqua voluntas efficax, non qua Deus velit talem actum non fieri, sed qua velit teneri inferiorem ad talem actum non faciendum: hæc autem voluntas nulla ratione probari potest convenire Deo necessario etiam supposita voluntate creandi hominem, nam licet sit consentaneum divinæ sapientiæ et providentiæ gubernare creaturam rationalem, leges, et præcepta ei imponendo per voluntatem suam: tamen non est ita hoc necessarium, ut contrarium implicet contradictionem: sicut etiam est consentaneum, ut retribuatur præmia pro bonis actibus, et poenas pro malis, et tamen sine contradictione potuisset Deus nolle punire talem actum malum: sic ergo posset etiam hominem relinquere, ut sua ratione regeretur nullam specialem obligationem per voluntatem suam illi imponendo, nam hic etiam est quidam moralis effectus ad extra, qui non habet necessariam connexionem cum alio effectu, neque cum voluntate divina. In hoc ergo sensu, nullam involvit contradictionem illa conditionalis: sed vera est pars affirmativa, quod licet nulla esset æterna prohibitio talis actus esset malus.

11. *Quid quando talis prohibitio non extaret, sed solum dictamen rationis.* — Alio vero sensu potest intelligi de dictamine rationis divinæ, vel humanæ, et hoc modo per locum intrinsicum sequitur, si talis actus non iudicaretur malus recta ratione non futurum malum, quia non potest esse malum autem aliquod in actu, nisi sit voluntarium: non potest autem esse voluntarium, nisi aliquo modo sit recta ratione iudicatum, et quia nostra ratio est quadam participatio rectæ rationis, quæ in Deo est, ideo etiam recte sequitur, si in Deo non esset, æterna lex indicans malitiam actuum, cui voluntas nostra repugnaret, non posse in actibus nostris esse malitiam, quia, ablata divina ratione, necesse est nostram auferri. Si autem sub conditionali fingamus manere in nobis dictamen rectæ rationis indicans malum, et per impossibile non esse in Deo, illud sufficeret ad malitiam, quia illud sufficit

ut voluntas voluntarie tendat in turpe objectum.

12. *Secundum corollarium circa illam causalem [omnis actus est malus quia prohibitus], ut sit, aut non sit vera.* — Secundo intelligitur ex dictis, quid dicendum sit de causa causali locutione, *Omnis actus voluntatis est malus, quia prohibitus saltem lege æterna*: nam si intelligatur de lege proprie imponente obligationem per voluntatem legislatoris, non est simpliciter necessaria de potentia absoluta, ut ex dictis patet, nec de facto etiam est vera, si intelligatur de prima radice, et causa malitiæ, ut etiam patet ex dictis: potest autem de facto verificari intellecta de causa sufficienti ad malitiam, nempe dictamine intellectus, seu lege æterna, nam licet, nulla alia esset, hæc satis esset, ut voluntas nostra agens contra illam legem esset mala, et hoc modo possent intelligi quædam testimonia Augustini, Ambrosii, et D. Thomæ supra adducta, in n. 2, nam de facto ita est, quod omnis actus malus est contra legem Dei, et per illam tanquam per sufficientem rationem, et clariorem notificatur: si vero intelligatur solum de lege distante prout est in ratione, facilius verificaretur propositio de inesse, quam causalis, est enim voluntas mala agens contra dictamen rationis: tamen non ita proprie dici mala videtur, quia agat contra dictamen rationis, sed quia voluntarie tendit in malum objectum, quod non est malum, quia ratione ostenditur, sed potius ideo ratione ostenditur quia ipsum malum est, ut in principio hujus materiæ dicebam: potest autem aliquo modo verificari illa causalitas; primo loquendo de ratione divina in quantum est prima mensura, et primum exemplar rerum omnium, de ratione autem nostra, in quantum est necessaria conditio, et consequenter aliquo modo causa omnium actuum voluntatis: de utraque vero proprie ex parte objecti, non ex parte actuum intellectus, est enim voluntas mala, quia discordat ab objecto, prout per rectam rationem proponitur.

13. *Tertium corollarium, quo sensu dicantur aliqui actus intrinsicè mali.* — *Interest inter actus intrinsicè malos.* — Tertio intelligitur ex dictis, quomodo dicantur aliqui actus intrinsicè mali, non enim tales sunt, quia malitia sit intrinsicè, et physica entitas eorum de quo postea in sect. 3, neque etiam fortasse: quia non possit entitas physica actus poni in rerum natura, sine illa malitia, sed dicuntur tales, quia non possunt libere, et humano modo fieri circa tale objectum moraliter, et abs-

que ignorantia propositum, quin habeant conjunctam, et innatam malitiam, itaque repugnat tales actus morales sic factos esse bonos, aut manere indifferentes, et ideo merito dicuntur mali intrinsicè. Sed inter hos est advertenda quædam varietas et latitudo, nam quidam habent adjunctam malitiam ex vi directæ, et physiciæ tendentiæ in objectum; quod contingit quando vel objectum habet omnino immutabilem conditionem illam ex qua oritur turpitudine, ut est in odio Dei, aut quando in ipso objecto directe volito proponitur illa conditio, ex qua oritur illa turpitudine, ut est in voluntate mentiendi, furandi, etc. Aliquando vero non adjungitur malitia ex vi directæ vel physiciæ tendentiæ, sed tantum ex indirecta: ut cum aliquis vult hanc rem accipere, vel ad hanc mulierem accedere, et in objecto volito non ponit conditionem non suæ, vel alienæ, inter quos est differentia: nam hic posterior actus potest conservari totus sine malitia, si in objecto mutetur conditio, quia ex illa mutatione in objecto non sequitur mutatio in actu, quia non tendebat directe in illam conditionem: potest autem sequi mutatio moralis, quia moraliter mutatur objectum: in alio vero actu non potest mutari objectum, quin mutetur actus propter directam tendentiam, et ideo non potest eo manente auferri malitia, nisi forte interveniente ignorantia: si tamen tam patens sit malitia, ut non possit ignorari, ut fortasse est in odio Dei, non poterit ille actus esse humanus, quin sit malus; et ideo forte Scotus dixit hunc actum esse specialiter intrinsicè malum, de quo nonnulla in sect. 3.

14. *Ad rationem dubitandi in num. 1.* — Ultimo patet ex dictis responsio ad rationem dubitandi in principio positam; cum enim dicitur, omne malum debere esse contra prohibitionem, vel contra debitum, si intelligatur de intrinsicè debito naturæ rationali, ut sic, est verum quod assumitur, et ex illo debito nascitur iudicium rectæ rationis, prohibens iudicando convenientiam naturæ, et malitiam contrariam, non imponendo novam obligationem: et hoc satis est ad omnia, quæ ibi assumuntur, neque est necessaria alia major prohibitio exterior, ut dictum est, quamvis de facto semper hæc concurrat ex perfectione divinæ providentiæ. Ad testimonia jam responsum est, in n. 4, et possunt etiam non male exponi de lege indicante.